



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Ervditione Religiosorvm**

**Humbertus <de Romanis>**

**Ingolstadii, 1591**

**VD16 H 5888**

1. De eruditione animi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](#)

## QVARTVS LIBER

ERVDITIONIS RELIGIO-

*forum. In cuius prima parte agitur  
de eruditione animi.*

## CAPVT I.

**N** præcedentibus ostensum est, quomo-  
do is qui in religione est, se debeat  
habere ad mundum, ad corpus pro-  
prium, & ad inuisibilem aduersarium.  
In hac parte ostendendum est quomodo debe-  
at ordinare animum. Et primò ordinatio animi  
commendabitur. Secundò agetur de diuer-  
sis ordinationibus. Tertiò tangetur de aliqui-  
bus inordinationibus. Circa primum notan-  
dum, quòd ordinatio animi multum facit ad  
pacem & tranquillitatem. Sicut lapis natura-  
liter non quiescit sursum, imò tendit ad locum  
sibi congruentem, & cum illuc peruenierit, qui-  
escit: sic animus inordinatus non quiescit. Au-  
gust. Minus ordinata inquieta sunt: ordinata au-  
tem quiescunt. Idem in li. confel. Iussisti Domi-  
ne, & sic est, vt pœna sibi sit omnis inordinatus  
animus. Idem in lib. de Ciuit. Dei. Pax omnium  
rerum, est tranquillitas ordinis. Ordinatio eti-  
am multum facit ad decorum. Creatura ratio-  
nalis ordinem suum seruans, est creaturarū pul-  
cherrima. Si verò non seruat ordinem suū, tur-  
pissima. Si ignoras te, ô pulcherrima inter mu-  
lieres, egredere, & abi post vestigia gregū tuorū.  
Anima dignitatē suam agnoscēs, nec secundum

*Lib. 1. ca. 13.**Lib. 19. ca.  
13. in prim.**Cant. 1.*

K 2 eam

eam ordinem suum seruans, brutis inferiorē  
ficitur. Adeò facit ordo ad decorē, vt mā  
quæ in se sunt turpia, à Deo ordinata, bonorū  
pulchritudinem non impediant, sed potius au-  
geant: vel in veritate vel in apparentia. Augusti  
nus in lib. de Ciuitate Dei: Mala voluntas, qui  
ordinem naturæ seruare noluit, non ideo ius-  
Dei leges omnia bene ordinantis effugit. Qui  
sicut pictura cùm colore nigro suo loco posse  
venustior est: ita vniuersitas rerum, si quis posse  
intueri, etiam cum peccatoribus pulchra est  
quamvis ipsos per se consideratos sua deformi-  
tas deturpet. Idem in libro de natura boni: Ma-  
lum bene ordinatum, eminentius commendat  
bona. Item ordinatio multum facit ad fortitu-  
dinem. Anima bene ordinata terribilis est ho-  
stibus suis, scilicet dæmonibus & vitiis, vt ca-  
strorum acies ordinata. Exercitus inordinatus  
facilè vincitur: ordinatus verò ab hostibus  
metur. Cum dispositione initur bellum. Anima  
ordinem suum seruans, cùm sit propinqua  
tissimo, est valde in eminenti loco, hostibus sui  
superior: ideo non timet eos. Psal. Super inimi-  
cos meos despexit oculus meus. Boëtius in li-  
bro de consolatione. Mali circa diripiendas in  
utiles sarcinulas occupantur: boni au-  
tem desuper irrident vilissi-  
ma quæc rapi-  
entes.

secundum